



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 70. Dissidia inter Anglos Ministros Puritanos, & Calvinistas, qui
Parlamentarii vocantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. Scholasticam præter quatuor tractatus
 A.C. 1583. de Constitutione Theologica, ritibus
 Missæ, indulgentiis, & Purgatorio:
 porro hi tractatus adhuc in scripto Co-
 dice in Bibliotheca Ambrosiana Medio-
 lani asservantur, Parisiis tamen anno
 Salvatoris nostræ millesimo sexcentesi-
 mo quadragesimo quarto typis vulgati
 fuere commentarii huic Auctori pari-
 ter adscripti in præcipuos veteris Te-
 stamenti libros, qui tamen ceterorum
 præstantiam non adæquant.

§. LXX.

*Diffidia inter Anglos Ministros Puri-
 tanos, & Calvinistas, qui Par-
 lamentarii vocantur.*

*Cambden
 annal. Regn.
 Elis.
 Spond. hoc
 ann. n. 15.*

Hoc anno in Angliæ Regno furiosa
 exstitit altercatio inter Ministros
 Calvinistas Parlamentarios, & Calvi-
 nistas Puritanos, ubi tam hi, quam illi
 in probrosas injurias, ac dicteria con-
 tra Cantuariensem Archiepiscopum, an-
 tea Vigorniensem Antistitem in suis
 scriptis erumpebant: porro occasio ad
 id exinde nascebatur, quod juxta man-
 data Reginæ, quæ sibi supremi in An-
 glicana Ecclesia Capitis auctoritatem
 arrogabat, præfatus Præsul Puritanos
 obstringere contenderet, ut sua sub-
 scriptione profiterentur, quod sola hæc
 Regina supremam potestatem tam sa-
 cram,

cram, quam profanam in omnes suos subditos, cujuscunque conditionis forent, haberet: insuper eos compellere volebat, ut simul profiterentur, quod liber preces publicas, & modum administrandi Sacramenta continens, & alter de Episcopis, & Sacerdotibus ordinandis agens nihil verbo Dei contrarium contineret, ac propterea ambo ab omnibus accipiendi, atque observandi essent unacum Articulis Synodi Londinensis anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo auctoritate publicatis.

Præterea Robertus Brownus Northantonix in Anglia natus, ac Soutwariæ Ludimagister, a quo novi Sectatores Brownistæ dicti ortum trahunt, adversus hæc Reginx mandata librum vulgabat, demonstrans, quod Ecclesia Anglicana cum Ecclesia Catholica nihil prorsus commune habeat: sub idem quoque tempus alius quidam Pædagogus nomine Richardus Harrisonus libro edito ostendebat, quod omnes spurix reformationis Ecclesix non quidem circa fidei dogmata, in quibus cum Hollandix, Germanix, aliarumque Regionum hæreticis conspirarent, sed circa regiminis normam adulteratæ sint: porro hic idem Auctor æque Presbyterianos, ac episcopale regimen damnabat,

Sæcul. XVI.
A.C. 1583.

Sæcul. XVI.
A.C. 1583.

nabat, existimans, quod nemo eorum Ecclesiæ sese aggregare valeat, cum hi omnes affirmarent, quod de conversione, & probitate eorum, ex quibus illorum Ecclesiæ conflantur, certi non essent, ac insuper illi tolerarent peccatores, quibuscum tamen juxta hunc Auctorem nullum commercium foret habendum: porro ex horum scriptis plura etiam pullulabant responsa, ac demum adeo vehemens disputatio, ut ex Puritanis nonnulli extremo afficerentur supplicio.

§. LXXI.

*Variae Constitutiones a Gregorio XIII.
Papa editæ.*

Bull. t. 2.
Const. 80.
Et seq. pag.
495.

Cum interea Romæ summus Pontifex certior fieret, haud leves corruptelas in Italia fuisse invectas ex eo, quod Abbatissæ, & monasteriorum Priorissæ ad dies vitæ suis fungerentur officiis, hinc Gregorius XIII. hoc anno die prima Januarii diploma edidit, quo præcepit, ut Abbatissæ, & Priorissæ nonnisi ad triennium eligerentur juxta suorum Ordinum Institutum, & sacri Concilii Tridentini decreta: hujus vero Constitutionis rationem in hac Bulla Pontifex sequentem affert, eoquod sperandum sit, *Abbatissas, & alias Præfectas triennes, scientes*